

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Spiritus sanctus q
cum fonte primo

Spiritus paraclitus dat
pignus salutis, robur uite, sciencie
lumen: pignus salutis ut ipse Spiritus
reddat testimonium spiritui tuo quod
Filius Dei sis;

robur uite ut quod per naturam tibi est
impossibile, per gratiam eius non solum
possibile, sed eciam facile fiat;

lumen sciencie ut

quicquid boni in te inueneris illi tribuas
a quo omne bonum est.

In tribus istis Spiritus sanctus docebit te
omnia que
pertinent ad salutem.

Bernardus in sermone.

«Et ne de absentia mea vel murmures,
vel contristeris, mittam tibi
Spiritum Paraclitum, qui tibi donet
pignus salutis, robur uitae, sciencie
lumen. Pignus salutis, ut ipse Spiritus
reddat testimonium spiritui tuo, quod
filius Dei sis:

qui certissima signa praedestinationis
tuae cordi tuo imprimat et ostendat; qui
donet laetitiam in corde tuo, et de rore
caeli, si non continue, tamen saepissime
mentem tuam impinguet.

Robur uitae, ut quod per naturam tibi est
impossibile, per gratiam eius non solum
possibile, sed et facile fiat,

ita ut in laboribus, in vigiliis, in fame et
siti, et omnibus observantiis, quae, nisi
farinula ista dulcorentur, prorsus MORS
IN OLLA appareat, delectabiliter incedas,
sicut in omnibus divitiis.

Sciencie lumen, ut,

cum omnia bene feceris, te servum
inutilem putes, et

quicquid boni in te inveneris, illi tribuas,
a quo omne bonum est,

sine quo non parum aliquid, sed nihil
omnino potes incipere, ne perficere
dicam. Sic ergo

Spiritus iste in tribus istis te docebit

omnia, sed omnia quae
ad tuam pertineant salutem,

quia in ipsis est plena et absoluta
perfectio.»

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in
die Pentecostes*, 2, 6 (SBO 5, J.
Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais
eds., pp.168-9, ll.27-28, 1-12).